Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 145
Quelle:
Copyright:

lelismo inter *Johannem* et ceteros Evangelistas, qui incipit: *Euangelium emphatice dicitur bona annunciacio* &c.

II. *fol.* 75. sequuntur Collectanea e PP. *de extremo Judicio*, *Beatis et Reprobis* in Articulos redacta, sed ἀκέφαλα; incipiunt enim nunc a CCXLI. *De Resurrectione.* Ita: *Omnibus questionibus que de resurrectione moueri assolent* &c. et ultra CCC. excurrunt. Postremus hac rubrica est: *Quid acturi sint sancti et que eorum felicitas.* Loquuntur *Augustinus*, *Ambrosius*, *Haimo*, *Julianus Tolet.* alii.

III. *fol.* 81. Tractatus logico-theologicus ἀδέσποτος, cujus Praefatio incipit: *Omnis scientia suis nititur regulis uelud propriis fundamentis* &c. Postquam Autor id exemplo Grammaticae, Dialecticae, Rhetoricae, Ethicae, Physicae, Arithmeticae, Musicae, Geometriae et Astronomiae ostendisset, sequitur: *Supercelestis etiam scientia, id est, theologia suis non fraudatur maximis* (les Maximes *gall.* Regulae, Principia &c.) *habet enim regulas digniores sui obscuritate et subtilitate ceteris preeminentes* &c. et postquam has Regulas seu *Maximas* dixisset adpellari posse Paradoxa, Aenigmata, Emblemata, Enthymemata et Hebdomades, ita concludit: *Unde boecius librum inscripsit de hebdomadibus quasi de subtilissimis theologorum propositionibus. Iste propositiones quanto intelligenciam habent altiorem, tanto magis peritum exigunt auditorem. Vnde non sunt proponende rudibus introducendis, qui solis dediti sunt sensuum spectaculis, sed illis, qui ductu purioris mentis ad ineffabilia conscendunt, et puriori oculo philosophie secreta conspiciunt. Hęę enim propositiones in penitiori sinu theologie absconduntur, et solis sapientibus colloquuntur. Tractaturi igitur de theologicis maximis a fonte atque omnium maximarum maxima id est generalissima nostri tractatus sumamus inicium.* En hanc Maximam Maximarum. *Communis animi conceptio est enuntiatio quam quisque intelligens probat auditam.* En et quasdam subsequas: *Monas est, qua quelibet res est una. In supercelesti unitas, in celesti alteritas, in subcelesti pluralitas. Monas gignit monadem et in se suum reflectit ardorem. In patre unitas, in filio equalitas, in spiritu sancto unitatis equalitatisque connexio. Sola monas est alpha et ω. sine alpha et ω.* Singulis *Maximis* suum subjicitur ratiocinium. Numero sunt CXXXIII. Pervadunt omnia Dogmata, et postrema est: *Omnis subsistens dissimilitudine nature est aliud, eciam dissimilitudine proprietatis est aliud.* Habes acutum Dialecticum *Aristotelis* doctrinam plenis rivulis in Theologiam invehentem. Itaque haec Seculum XII. et *Roscelini Compendiens.* *Petri Abailardi*, *Gilberti Porretani* tempora respiciunt. Foetum *Gallicum* esse suadet etiam Vocabulum *Maxima*, quod tardius ad *Anglos*, *Italos*que pervenisse putem. Meminerat Autor